

V c  
3597



St. 3



H. 522, 23.

V c  
3597

JUSTA

ANNIVERSARIA

SACROSANCTÆ MEMORIÆ  
SERENISSIMI AUGUSTISSIMIQUE  
PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI JOHANNIS GEORGII

PRIMI,

DUCIS SAXONIÆ, IULIÆ, CLIVIÆ ET  
MONTIUM, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-  
MARSCHALLI ET ELECTORIS, LANDGRAVII THURINGIÆ,  
MARCHIONIS MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURG-  
GRAVII MAGDEBURGENSIS, COMITIS IN MARCA ET RAVENSPURG, DO-  
MINI IN RAVENSTEIN, PH, FELICIS, PATRIS PATRIÆ, NUTRITI  
SUI BENIGNISSIMI, MUNIFICEN-

TISSIMI

SUBJECTISSIMO STUDIO

PERSOLUTA

AB

ACADEMIA LIPSIENSI

MINISTERIUM COMMODANTE

CHRISTIAN FRIDERICO

FRANCKENSTERN /

LL. ET HISTOR. PROF. PUBL. COLLEGII MA-  
JOR. PRINCIPUM COLLEGIATO, ET EPHOR. STIPEND.

ELECTORAL. ADJUNCTO

SERENISSIMÆ DOMINI SAXONICÆ  
DEVOTISSIMO.

LIPSIÆ,

Typis & Impensis JOHANNIS VVITTIGAU.

26.



SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI  
AC DOMINO  
DNO. JOHANNI GEORGIO  
SECUNDO,

DUCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
ET MONTIUM, SACRI ROMANI IMPERII  
ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI, EJUSDEMQUE NUNC  
TEMPORIS VICARIO AUGUSTISSIMO, LANDGRAVIO THU-  
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ,  
BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI IN MARCA  
ET RAVENSPURG, DYNASTÆ IN  
RAVENSTEIN,



PATRI PATRIÆ BENIGNISSIMO,  
VERÆ FIDEI DEFENSORI PISSIMO,  
ASSERTORI MUSARUM FELICISSIMO,  
SALUTIS PUBLICÆ STATORI  
OPTIMO, MAXIMO

DOMINO SUO INDULGENTISSIMO,  
HOC QUICQUID EST

SACROSANCTÆ DIVI PARENTIS MEMORIÆ  
DICATUM

HUMILLIMA CUM SUBJECTIONE  
OFFERO

PIETATI EJUS SEMPER  
DICATISSIMUS

CHRISTIAN FRIDERICUS Franckenstein



RECTOR MAGNIFICE ; AMPLISSIME  
CONSUL , PATRES UTRIUSQUE REIP. CONSCRIPTI , ET  
QUOTQUOT ADESTIS AUDITORES HONORATISSIMI ,



Vemadmodum anno  
sua sunt vices, tepidasque veris blandi-  
tias intensior calor æstatis, fertilissimam  
autumni jucunditatem rigor ingratus  
hyemis excipit ; ita & hic vitæ nostræ orbis alter-  
nat, & variante vicissitudine sed serie quadam con-  
catenatâ lætis tristia succedunt , prospera adversis  
mutantur. Ridicula est mortalitas, si inter tot va-  
nitatum ludibria perpetuam felicitatem expectat :  
cum nos exortæ undique vocent in amplexum mo-  
lestiæ , & inter ipsas delicias sævi quidpiam vel in-  
opinantes strangulet. Ejus rei documentum illu-  
stre ipse hic dies, & publicæ cathedræ suppetūt, ille  
priore hebdomadâ candidus & lætus, præsentis ater  
& luctuosus ; hæ ante octiduum festivo plausu at-  
que jubilo , nunc funesto planctu resonantes atque  
ejulatione. Ut ex quo loco solenni & gratulabunda  
acclamatione Serenissimus Patriæ Pater exceptus  
fuit, ex eodem lugubres voces gemitusque & lacry-  
mæ tanquam justa solennia persolvenda veniant  
maximo Principum. Octavus nempe iduum O-  
ctobris dies licet fastis eximi nequeat aut eradi, no-  
bis tamen Patriæque imò universæ Germaniæ ater  
sem-

semper habebitur ac illætabilis. Quod eo Serenissimus potentissimusq;ve Princeps ac Dominus, Dominus JOHANNES GEORGIUS I. Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montiũ, sacri Romani Imperii Archimarschall, & Elector, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, ac utriusq; Lusatae, Burggravius Magdeburgensis, Comes in Marcâ & Ravenspurg, Dominus in Ravenstein, Pater Patriae clementissim, anno abhinc mortalitate expletâ, quam laudatissimè tuitus erat defenderatq;, stationem deseruerit. Cujus ingentibus meritis, quæis tum universum quaquapate Romanum imperium, tum suas sibi provincias & imprimis hanc Academiam obligavit, etsi nihil retribui potest æquivalens, devotâ tamen recordatione sacrosanctam Principis Optimi Maximi memoriam tam universa posteritas quam nostra prosequetur Universitas, atq;ve in hoc ipso templo, in quo propediem sacratissimos vultus erit contemplari, solennes quotannis beatissimis manibus dabit inferias. Idque ut meæ vocis ministerio fieret, publicè decretum est, non quod unus ego lactea aut mellita verba funditem, quippe nec facundiam unquam exercui, & meum erga magistratum Academicum obsequium, pietatem erga Principem rebus & factis, quantum patitur harum virium modulus, affirmare malo, sed quod non tam oratoriam in dicendo venustatem atq;ve elegantiam, quam  
histo-

historicam simplicitatem & veritatem more antecessorum adhibiturum judicarent. Quippe & magna illa cæloq̄ve nota nomina Camerarii, Dresseri, Friderichii, quorum vestigia legere satago, etsi à dicendi facultate instructissimi hac potius ratione impositum voluerunt implere munus, quàm Rhetorum observare leges, quas nonnulli sanctius quàm Cornelias aut Julias custodiunt. Quin nec à primâ ætate ordienti omnia maximi Principis gesta recensere animus est, aut ea saltem exequi, quæ quamdiu reipublicæ habenas tenuit, fortiter egit aut sapienter: Fiet id, ubi jussus fuero, alio tempore, alioq̄ve filo & stylo: Sed ad certa quædam genera seu capita, uti vocant, cuncta revocabo. Frugi hominem dici non multum habet laudis in Rege, fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regis laudes, illa privata est. Itaq̄ve Parnasso suo nuper Apollinis Musarumq̄ve filii justitiam cum fortitudine, prudentiam & quæ cæterarum regina est, pietatem adstites dederunt. Hunc ego pulcherrimum quaternionem & vel Pythagoræo illo sanctiorem ita semper adfuisse Serenissimo Principi ostendam, ut à majoribus gloriosissimæ recordationis per partes acceptum junctim & universum quasi traditum & ingenitum retulerit, atq̄ve ad Successorem transmiserit. Vos autem, A. O. qui

A 3

vir-

virtutes tanti Principis & admirati olim & venerati, fortitudine ejus defensi, justitiâ vindicati, prudentiâ conservati, religione deniq̄ve & pietate ad imitationem accensi fuistis, quâ par est reverentiâ oro atq̄ve obtestor, ut qui vestrâ auctoritate tenuitatis sibi suæ conscium dicendiq̄ve longâ desuetudine insolentem invitum & reluctantē ad hanc provinciam suscipiendam compulistis, iidem favore & benevolentia atq̄ve attentione vestra dicturum sublegetis. Hujusq̄ve voti compotem me non tam eloquentiæ fiducia, quàm vestra erga indulgentissimum Principem pietas & ingentium ejus meritorum justa æstimatio factura est.

Quamvis in more solenni positum sit iis, qui vitam & gesta Magnatum ad posteros tradere amant, primo loco splendorem natalium & venerandam generis antiquitatem commemorare, sicut quondam stulta gentilium superbia ad Deos ipsos & Jovem originem referebat, non expectatis tamen opinor, Auditores, ut vobis longâ serie Serenissimi Principis stirpem ab ultima origine velut de tabula recitem. Quis enim in omni historia ita hospes est, ut Vitekindæã familiam ignoret, quæ unam inter Germanicas dignitate parem Habsburgicam & præter hanc nullam agnoscit, & ab hâc etiam ipsâ ut felicitate ex tot regnis dotalibus auctâ superatur, ita eandem antiquitate superat. Ex qua hodierni  
Gal-



Galliae Daniæque reges, ex qua Sabaudiae Duces, ut  
alios taceam innumeros, prodiisse etiam gloriantur.  
Et ut ad propiora veniam, quis nescit Fridericum  
bellicosum Academiae hujus perantiquæ Fundatorẽ;  
Fridericũ placidũ; prodigiosè quodam modo serva-  
tos Ernestũ, & Albertũ, dexteram Imperii manum;  
Heinricum pium, Mauritium invictum, Augustum  
prudentem, Christianum Magnanimũ, Christianũ II.  
liberalẽ atq; beneficũ? Nec est qui non audiverit So-  
phiam Brandeburgicã, optimam in suos, optimam  
in Rempublicam matrem, pietate in Deum, chari-  
tate erga liberos & eorum salutem nulli secundam.  
Quorum omnium facta æternitatis tabulis jamdiu  
inscripta quàm largam dicendi suppeditarent mate-  
riam, si hoc potissimum ageremus! Transeo sci-  
ens & volens illam nemini Principum aut nostri aut  
superioris seculi concessam, quin & privatis laribus  
rarò usurpatam felicitatem, qua octoginta ex se fili-  
os, nepotes, pronepotes felix pater sustulit, & in  
his gemellos etiam: ex quorum numero filiam  
pariter & neptem regali vidit potitas matrimonio.  
Quæ omnia sanè copiosè dici poterant, nisi dicta  
omitti juberent, quæ Principem nostrum verè effe-  
cerunt admirandum, quæque ille sibi debuit, cum  
cætera illa majoribus suis deberet, aut etiam fortu-  
næ. Nam profectò etsi illa abfuissent omnia, non  
ille quidem minor futurus erat, sed minus tamen  
felix

felix & beatus, si modò beatitudo externis istis etiam metienda est. Ad fortitudinem ergò venio, non uno eoque illustri documento spectatam. Incidit equidem Principis nostri ætas in ea tempora, quæ vel maximè fortem atqve magnanimum requirebant virum. Parturiebat jamdiu Germania quietis suæ & tranquillitatis quodammodo pertæsa magnum aliquod malum, hinc Lojolithis & factione Ligisticâ, inde Sacramentariis & unione (fortè non malè dixerim Calvinisticâ, licet illi etiam complures ex orthodoxis nomina dederint,) obstetricantibus, Et jam Galliæ Rex medios inter armorum strepitus, cum nescio quid minitaretur Germaniæ, nefariâ sicarii manu confossus fuerat. In quo etsi non parum virium amiserat unio, cujus spem casus ille tragicus disjecit atqve dissipavit, ferali tamen nixu infinitam calamitatem non patriæ tantùm nostræ Germaniæ sed & universæ Europæ Bohemia peperit, dū præpropero & inconsulto (ut mollissimè dicā) zelo proceres quidam Bohemi consiliariis Imperatoris per fenestras deturbatis mox ad arma conclamant, & civilis belli incendium longè lateqve spargunt. Ad illud extinguendum cum concurrerent, quotquot salutem publicam amabant, interqve hos Serenissimus noster Elector vel primus foret omnium, alii autem, quibus omnis in turbido spes, oleum flammæ affunderent, fatali quodam in-

for-

fortunio rebus humanis eripitur Cæsar Matthias, Bohemiq̄ve ad novi regis electionem properant, rejecto quem antea designaverant Ferdinando. Factum postidea est, ut ceu Dante Deo & ordinum concordia oblatam arriperet Bohemiæ coronam Fridericus Palatinus Elector, infelicibus sanè auspiciis, & exitiali bello se suasq̄ve provincias & universam Europam, (nam q̄vota ejus pars fuit hujus contagii expers?) involveret. Falsò q̄veritur de infelicitate suâ genus humanum, quod circa futura nimum hallucinetur, cum præsentem calamitatem & tot instantes miseras ferali crine cometes annunciaret omnibus. Frustra fuerat Elector noster Serenissimus svadendo, monendo, obtestando, arbitrumq̄ve se pacis ac concordia consentiente Cæsare interposuerat, cum fatali vecordia rejectis omnibus sanioribus monitis furere pergerent turbatores: ut verissimè dici posset, divinam majestatem, quorum fortunam ex justissima indignatione mutare constituit, consilia corrumpere. Non licuit ultra quiescere Principi pacis amantissimo, nec decuit spectatorem adfidere desidem, dum proximus ardebat Ucalegon. Jubente itaq̄ve Cæsare ex pacto unionis inter Saxoniam Bohemiamq̄ve hæreditariæ armis accingitur, eorumq̄ve vi utramq̄ve Lusatiam, & quod longè gloriosius, solâ auctoritate Silesiam Domino suo restituit. **J**actet licet sua in Imperatorem

**B**

torem

torem domumque austriacam merita Liga Pontificia, ejusque ductor Maximilianus Bavarus, quod in heu nimium albo ex ossibus caesorum monte fortunam ipsius profligatis adversariis restituerit; aut par debetur aut major Electori nostro gratia, qui etsi minus sanguinis effudit, non praelio tamen sed bello vicit. Videbatur ad statum pristinae quietis & tranquillitatis reversura Germania, & redierat, nisi aut Palatinus socios reliquisset, aut Caesar militiae praefectos habuisset, aut quod utroque perniciosius fuit, nisi Vejovis Romani, qui fax & turbo ut superiorum omnium, tua & nostri est eritque seculi, legatus adfuisset seu nuncius Pseudoapostolicus. Carolum Caraffam intelligo, nunc Cardinalem, qui non dubitavit editis etiam ad omnem posteritatis memoriam tabulis consignare, quibus artibus technis atque fraudibus pacis consilia in aula Caesaris, Hispanicam, Belgicam, Bavaricam disjecerit atque disturbaverit, adeo ut ab ipsis etiam Pontificiis, quotcumque paulo cordatiores erant, pudendo & abominabili turbatoris pacis nomine monstraretur. Nam dum illi collapsas Palatini res restaurare omnibus modis tentant, sanguine inundanda fuit Svevia, Franconia, Saxonia inferior, Westphalia, Austria, & quae non Germaniae provincia est. Dum hi aut Electorales dignitates inhiant, aut in suis titulis Megapolin & portentosum supremi in mari Balthico Thalassiarchi nomen legi cupiunt,

unt, exterminandi erant possessores legitimi, irri-  
tandi vicini reges; dum deniq̄ve Caraffa ut Erebi  
claustris emissis furialis Erinnyes per Dillingenses Lo-  
jolitas aliosq̄ve horum similes classicum belli sacri  
intonat, movendum quicquid totâ Germaniâ ad-  
huc quietum intactumq̄ve fuit. Nihil tamen egi-  
sti, Caraffa, ( cogit enim excedere propositæ for-  
mam orationis erumpens animo ac pectore indig-  
natio,) nihil inquam egisti damna orthodoxæ religi-  
oni data enumerando, & tot innocentum ex tua  
pariter nostraq̄ve parte funestis consiliis prodigen-  
do sanguinem. Eripuisti multis opes avitas, lucem  
sollicitam, & vitam miseriores sub tyranno Ponti-  
fice, quam sub te ejus vicario totq̄ve cædium pro-  
curatore & administro, mortem. Veræ autem re-  
ligionis usum adeò non eripuisti Germaniæ, ut con-  
firmaris, Præsulatus & bona Ecclesiastica adeò non  
recuperasti, ut in perpetuum amiseris. Æternæ  
felicitatis præmia adeò non abstulisti martyribus  
nostris, ut auxeris. Viget vigebitq̄ve per omnia,  
quotquot fortè supersunt, seculorum memoriam  
orthodoxa religio, dumq̄ve hoc divini providentiâ  
numinis constitutum imperii Romani corpus, quod  
tum sua constantia Elector Saxo sustentavit; dum  
Austriaca domus, quam armis asseruit; manebit in-  
columis, comitem ævi sui laudem Serenissimi Prin-  
cipis nostri trahet, omnisq̄ve Germana posteritas

nostram in Imperatorem fidem mirabitur, tua in nos facta, sanguinolentum tuum Papæque tui animum despuet atque execrabitur. Longius abripuit me conceptus justissimi doloris impetus, A. O. redeundum in viam est, & ad Serenissimum nostrum Principem. Is non sine suo maximo sumtu, labore incredibili Lusatiam Silesiamque perpacaverat, cum apparere sensim cœpit consiliorum fructus, quæ ex Tarpeji montis culmine detulerat secum Pontificius legatus. Itaque contra promissa & fidem datam ejecti Bohemia aliisque provinciis orthodoxi Doctores, præteritis contra tenorem aureæ bullæ proximis agnatis, innoxii & inter hos Palatino Neoburgico translata in Bavarum Electoralis dignitas, denique omnia ad arbitrium septicollis Romæ acta, imminuta Germanorum Principum libertas, conculcata dignitas, & lubidini terræ filiorum sed arma tenentium exposita, denique omnia supera infera commota & confusa, & in quoddam quasi chaos redacta. Opposuerunt equidem nonnulli procerum & inter hos ipse Daniæ Regnator infrunitæ Cæsarei militis violentiæ licentiæque arma & vim bellicam, sed eo eventu, ut dum singuli pugnant, universi vincerentur. Noster verò Serenissimus Elector ne tantillum quidem à fide Imperatori imperioque debitâ dimotus monitis, consiliis, precibus flectere satagebat, quem frangere cæteri nequibant. Et

Cæ-

Cæsar quidem suapte naturâ elementissimus modò  
ad merita tanti sibi que tam fidi Principis respicere,  
modò pericula adhuc imminentiâ, & quanta se do-  
mum que suam pace Germaniæ tam diuturno tem-  
pore non restitutâ maneret invidia, perpendere,  
adeo que benignè respondere, de affectu suo secu-  
rum esse jubere & polliceri largiter solebat. Verum  
infecerat ista omnia solitum Esauitici gregis vene-  
num, quod æquivocationem vocant, & tot prope-  
modum juratas sinceritatis contestationes flu-  
xas atque irritas non sine insigni Cæsarei no-  
minis infamiâ reddiderat, adeo ut nullum jam  
certius fallacis atque subdoli animi signum foret,  
quam ingenui candoris promissio, & sincerationi-  
bus, uti vocabant, nihil esset insincerum magis aut  
fucatum. Benè atque sapienter, quantumvis super-  
stitiosa gentilitas confinxit, esse quoddam Adra-  
stia numen, cujus munus urnam movere apud su-  
peros, cum res ad summum pervenissent indi-  
gnitatis. Scilicet monere voluit eos, quibus  
res secundæ essent maximè, ne animis effer-  
rentur aut superbiæ se alligarent crimine. Ve-  
rum tantum abfuit, ut fortunam instabilem  
aut dubiam belli aleam, Martem que communem  
cogitaret quispiam, ut potius furiosa Lojolæ factio  
suum illud aut nunc aut nunquam horribiliter reso-  
naret, ut nostris Jubilæum Evangelicum celebranti-  
bus maximâ cum proterviâ insultaret, deniq; cum

reliquis rasæ cohortis fratribus de spoliis, quæ orthodoxis erepturos confidebant, & avarâ spe jam devoraverant, corâ Dæmonis in terris vicario turpissimè contenderet & rixaretur. Cæteras inter easque justissimas causas, quibus inductus proavorum memoriâ heros invictissimus Mauritius Elector in Carolum V. movit, hæc non fuit postrema, quam & coram ipsis Cælaris legatis protulit, quod evulgati fuerint libelli ad Germaniæ summum dedecus atque infamiam, quasi domita sit inque servitutem redacta. Quanquam autem infinita ejusmodi dicerentur tunc & scriberentur ( & cui nostrum ignota est Alberti V Vallensteinii impotentia? quem & Pontificii scriptores non dissimulant tanto ulum fastu, ut conqverentibus de magnitudine onerum provinciis principibusque superbo responso insultaret, aut majora adhuc onera supperadderet, quasi per benignitatē peccasset, & revera dictatorem imperii ageret. ) Serenissimus tamen Elector noster omnibus illis conviciis & Sarcasmis solidissimam Pupillæ Evangelicæ defensionem opponere satishabuit: prudenssimè judicans, sapientis esse, omnia prius experiri quam armis decertare: Non quin animorum ipsi satis esset, sed ne quidquam intermissis videretur, quod ullo modo conciliandæ paci faceret. Verum enim verò ubi nihil æqui uspiam impetrare se posse videt, præscio Cæsare conventum suorum indicit, &

re



re accuratè deliberata vim impotentum hostium  
justis armis repellendam & retundendam conclu-  
dit. Videbatur autem multis rerum non imperitis  
hoc fuisse consilium adversariorum, ut indignissi-  
mis sarcasmis proscisâ orthodoxâ religione, variis-  
q̄ve injuriis irritatum Saxonem in arma agerent,  
dein nondum satis paratum adgrederentur, & tan-  
quam jure belli victum, quod Megapolitanis antea,  
quod Pomeraniæ ducibus fecerant, ditionibus avi-  
tis aut omnibus aut plerisq̄ve exuerent atq̄ve multa-  
rent. Solum quippe superesse cernebant, quem  
formidare possent & deberent, sed jam fractum atq̄ve  
exhaustum variis sui militis deprædationibus, trans-  
itibus stativis & mille exactio- num formis judica-  
bant impunè posse contemni. Unde solenni  
propemodum & usitata ipsis formulâ mensis secun-  
dis inferri debere ditiones Saxonicas jactitabant.  
Sed quod ad ferocientem quondam Syriæ regem  
dictum fuit, non eadem est thoracem induentis  
quam exuentis conditio, quiq̄ve prius fecit suo,  
nonnunquam hoc posterius facere cogitur arbitrio  
alieno. Judices capiam ipsos inimicos nostros, i-  
psum infulatû Alastora Caraffam, fueritnè quisq̄vâ  
ex universis Germaniæ Principibus, qui æqvè mo-  
derata consilia secutus fuerit, æqvè pacificum ani-  
mum prætulerit, atq̄ve Serenissimus noster Elector.  
Sed non tantum etiam formicæ sua bilis inest, &  
quod

quod olim Spartanus Brasidas dixit, vel musculus  
captivus prehendentis mordet manum, ( &  
sub hac imagine Serenissimo nostro insultabant  
procacissimi hostes, ) verum etiam quietissimum  
& placidè restagnans mare ubi ventorum in-  
sipientium turbine motum fuerit atq̄ve aspera-  
tum, immensis & sidera ferientibus attollitur flu-  
ctibus. Jam Cæsarei quidam legati haud læta ad  
Serenissimum nostrum Principem mandata attule-  
rant, jam Tillius armato cum exercitu Martisbur-  
gensis pariter & Numburgensem Episcopatum in-  
gressus fuerat, jam urbem hanc subjugaverat, cū fa-  
talem Papali superbiæ arenam prope pagū Breiten-  
feldum insedit. Tum verò conjunctis cum Sveciæ  
rege gloriosissimæ recordationis, copiis cum de præ-  
lio committendo dissentiret invicem, quod rex in-  
victissimus in unius diei casum universum Princi-  
pum protestantium robur & orthodoxæ religionis  
salutem conjicere dubitaret : noluit Princeps  
fortissimus, cujus ditionibus omnis belli moles in-  
cubuerat, deesse suis, sed non semel usurpatū auroq̄;  
& argento expressum pulcerrimum illud Symbo-  
lum : Pro lege & Grege, re ipsa exhibiturus osten-  
dit felicissimo Regum, si pugnam detrectaret, solū  
se cum suis fretum Deo, fretum justitiæ causæ, fretū  
sæpissimè læsâ & vexatâ suâ patientiâ, nixum infini-  
torum hominum & suorum præcipuè subditorum  
precibus in hostem insolentem & propè continuis  
cla-

elatum victoriis iturum, & de summa rerum quam-  
vis periculofam Martis jacturum aleam. Obstupe-  
factus magnanimâ principis voce præclaroqve ausu  
Regum maximus assensit Electori optimo; præ-  
paratisqve quæ ad instantem pugnam facerent, in  
hostem duci coeptum est. Quid ego hîc primum  
commemorem aut dilaudem nescio. An hostium  
vecordem superbiam, quæ cum copiosam in pro-  
pinquo urbem, arcem validam obtineret, essentqve  
non parva jamdum in itinere subsidia, ne glo-  
riam spe jamdum præsumptæ communicaret vi-  
ctoriæ, aut in ejus societatem quæquam admitteret,  
ausa est discrimen pugnae subire? An fortissimum  
laudem nostri Electoris propositum, quo socium Re-  
gem prudenter tergiversantem impulit: Et sanè  
diu satis inter utrumq; volans dubiis victoria pen-  
nis ambigere visa est, utri se parti addiceret, præci-  
puè cum universa Tillii acies Saxonis illata legio-  
nibus nuperè conscriptis nutare eas coegit, quos-  
dam etiam fugam circumspicere? An Regis regio-  
rumqve virtutem, quâ sustentata pugna & redinte-  
grata est? An Deum potius celebrem, qui governa-  
tor totius fuit prælii? Hunc potius, à quo venit  
victoria, qui nobiscum fuit; à Domino factum est  
istud, & est mirabile in oculis nostris. Certè ibi  
triumphali seni, fortissimo Duci, expertissimo  
militi Tillio (nam virtus & in hoste prædicanda  
venit) de manibus extorta victoria, & ea illata cla-

C

des

des est, quæ omnem omnium retrò victoriarum fructum uno quasi momento Pontificiis partibus abstulit; documentum inde habituris, quantò satius sit pace non iniqva sed maturatâ finem imponere discordiis civilibus, quàm plenam & solidam & sine exceptione victoriam frustraneo ut plurimum voto & conatu sectari. Veni ad maximum operum optimi Principis, quo asserta religio, defensa regio, libertas Germaniæ recuperata, profligata superborum dominorum impotentia, spes deniqve Anti-Christi interrupta & tantum non plane abrupta est. Quæ sequuntur, fructus sunt hujus & effectus, adeo-que ne abutar patientiâ vestrâ, in transcurso dicenda veniunt. Patuit Serenissimo Principi Victori Bohemia, excepit eum cum gratulatione regia Pragensem urbem, decursa victoriis Silesia, denique accessit priori nova victoria; auspiciis Electoralibus ductu Campi Marschalli Arnhemii ex hoste fuso prope Lignizium relata. Et jam sanguinis fuscum videbatur satis Principi vel sui sanguinis pro religione & libertate Germaniæ prodigo, cum ad pacem aut longas potius inducias, cæso ad Luzenâ invictissimo & planè incomparabili rege Gustavo Adolpho, quo cum solo foedus icerat, animum adjecit. Habuit ea res invidiam non parvam eorum, quæ accisæ in pace res, magnum ex militia compendium sperabatur: externus præcipuè miles velut suam & captâ per-

perfulcare Germaniam, ductores hostium superbiam  
æmulari, deniq̄ve quæ in hoste oderant vitia, aut  
æquare aut etiam superare. Accedebant secreti  
conventus & arctiora foedera, quæque alia bello  
non nisi ad placitum & commodum alienigenarum  
finiendo dulcissimam patriam nostram illaquea-  
bant. Pepigit itaq̄ve Fragenses Serenissimus Ele-  
ctor cum Cæsare XL. annorum inducias, fore spe-  
rans, imò confisus ut interea recepto robore pristi-  
no suis sese viribus in antiquam libertatem asserere,  
imò in receptâ jam defendere & tueri posset Ger-  
mania. Quod ipsum factum quamvis canes ali-  
quot forenses seu incitiâ seu calumniandi libidine  
allatrarint, sua tamen illi & recta constitit ratio;  
Viderint illi, qui per XIV. annos nulla necessitate, sed  
insana Christiani sanguinis profusione ad summam  
tamen rerum nihil aut parum profecerunt, nisi  
quod suam uniusvè aut alterius privatim conditio-  
nem reddidère meliorem, satisnè causæ habuerint,  
ut tot animarum millibus, tot provinciarum vastita-  
te, tot urbium pagorumq̄ve excidio suæ litarent  
cupiditati. Nobis id affirmare suffecerit, per omne  
illud tempus non tantum nostrum constantissimè  
Cæsareis in partibus mansisse Electorem Serenissi-  
mum, sed & absq̄ve respectu vergentis jam dum in  
senium ætatis egisse in castris, stetisse in acie, functū  
esse non ducis tantum sed & militis boni officio, de-  
niq̄ve

niq; saviēti nonnunquam & adversæ fortunæ in-  
fractum virtutis opposuisse robur, eamq̃ve tantum  
non semper in potestate habuisse. Spectata tamen  
præcipuè est invicta Principis fortissimi magnani-  
mitas in hoste, quo cum pugnavit ultimo, mortem  
dico mortisq̃ve dominum, quo cum ita decertavit,  
ut victoriæ certus exclamaret, Jesum meum non de-  
feram. Quæ vox plenissimæ fidei, invictæ constan-  
tiæ, heroicæ pietatis index certissima aureis literis  
scribi merebatur, nisi melius vestris, Aud. Hono-  
ratissimi, omniumq̃ve fidelium animis scriberetur.

Dicendum nunc erat, quanto incomparabilis  
heros flagaverit justitiæ studio, quod testantur pro-  
vinciales & judiciariæ constitutiones, sanctio con-  
nubialis, sumptuariæ leges, & quod ille postremum  
provinciae suæ beneficium sed inæstimabile dedit,  
quaq̃ve litium infinitam prolixitatem, quantum in  
se fuit, accedit, illa necessitatis reassumendi proces-  
sus abolitio, circa cujus formalia, togati multi vultu-  
res & insatiabiles harpyiæ magno suo commodo sed  
clientum detrimento longè maximo nonnunquam  
per aliquot annos decertabant.

Ostendendum, quâ prudentiâ commissas guber-  
naverit provincias, tot conventibus Imperii inter-  
fuerit, tot imperatores elegerit, tot dissensiones in  
imperio conciliaverit, privatas & noxias coitiones  
& foedera dissolverit, in publicum utiles & salutare  
inierit, deniq; ut alter ævi nostri Nestor & veracissi-

mu

mum oraculū sapientissimis consiliis universā sacri  
Romani Imperii Rempublicam rexit, administra-  
verit, sustentaverit.

Demonstranda pietas in Cæsarem sacri Romani  
Imperii caput, in parentem Augustissimam Sophiā,  
quam non minori atq̃ve Salomon Bathsebam ma-  
trem obsequio & cultu veneratus est, in liberos, in  
divinum deniq̃ve numen; quo ducente suscepit  
tot ob professionē orthodoxæ religionis exules, ju-  
vit afflictos, ædificavit templa tam intra quàm extra  
ditionum suarum terminos, instauravit scholas atq̃;  
Academias, celebravit jubilæa, promulgavit scri-  
pta, visitationes instituit, stipendiarios sustentavit,  
deniq̃; quod in Esaia dicitur, Ecclesiæ Jesu Christi  
nutriti fuit & protector benignissimus, munificen-  
tissimus; Sed hanc uberiorē securioremq̃; materiā  
futuris annis reposui, unde vel alius justæ orationis  
sumat materiam, vel si vita suppeditet, Vesterq̃;, Pa-  
tres Academiae conscripti, favor & auctoritas julle-  
rit, ego met clarissimorum antecessorum & magni  
præcipuè Camerarii exemplo pietati in principem  
meæ satisfaciam, à quo quantumcunq̃ve dignita-  
tem meam, inchoatam primum, mox auctam, uti & à  
Serenissimo Successore longius provec̃tam subjectis-  
sima cum gratiarum actione agnosco.

Fuit autem, Auditores Honoratissimi, Prin-  
ceps noster clementissimus, Patriæ pater indulgen-

tissimus, fuit, & in cognatum sibi coelum præteriti  
anni hodierno die circa quartam quasi promeridi-  
anam magno cum nostro luctu & mœrore univer-  
sæ provinciæ reversus est. Quid tunc homines ti-  
muerint, quæ omnium trepidatio, quæ spes ho-  
stium, quis provinciarum metus, in quam arcto  
salutis & periculi egerimus confinio, exprimere  
jam in hâc arctati temporis angustiâ nec licet, nec  
libet. Hoc solùm verissimè voce publicâ dixerò.  
Cujus rei publicæ ruinam subtimuerant boni, spe-  
raverant improbi & inimici nostri, eam ne com-  
motam quidem sensimus, tanta Optimorum Patris  
Optimi Maximi filiorum concordia, tantus sub-  
ditorum in obsequium fuit consensus. Scilicet  
princeps undiquaque optimus, ne non æterna sua  
beneficia faceret, similem sibi successorem reliquit,  
in quo ipse illatus astris & inter sidera refulgens ad-  
est tamen nobis, ejusque fortitudine invictâ, pru-  
dentiâ incomparabili, justitiâ æquissimâ, pietate  
admirabili in filio & per filium Serenissimum adhuc  
frui mur. Pulcerrimum hoc est, eminentissimum  
est, ære perennius est decedentis Principis Epitaphi-  
um & monumentum : **SUCCESSOR BONUS.**  
Voto itaque finio. Æternæ & omnipotens Deus,  
auctor statorque imperiorum per universum terra-  
rum orbem omnium, Fili Jesu Christe, servator ac  
Protector Ecclesiæ Tuæ, tuorumque Spiritus sancte  
rector



rector ductorqve fidelium, te in unitate essentiae  
trinum, in trinitate personarum unum & verum  
Deum publicâ voce obtestor atqve precor, custodi,  
serva, protege hunc statum, hanc pacem, hunc  
cum celsissimis fratribus principem, Serenissimum  
Saxoniae Ducem JOHANNEM GEORGIUM  
II. Electorem, & sacri Romani Imperii hoc tem-  
pore Vicarium potentissimum, eiqve functo lon-  
gissimâ statione mortali destina successorem quam  
senissimum. Sed omninò eum, cujus in spem  
tantæ fortunæ jam feliciter adolescentis cervices  
tam fortiter sustinendo harum provinciarum im-  
perio sufficiant, quam aut Serenissimi patris per  
XLVI. annos suffecisse sensimus, aut hujus sufficere  
quotidie sentimus, consiliaqve omnium Sacri Ro-  
mani Imperii procerum & præcipuè Electorum in  
felicem exitum provehe. Ut sicuti Divus parens  
Augustæ recordationis sub initia regiminis sui  
quondam Divum Matthiam Cæsarem Rudolfo II.  
pacis amantissimo substituit, ita hic D. Ferdinan-  
do III. Gloriosæ memoriæ Imperatori alium quen-  
dam Rudolfo clementiâ, magnanimitate, felici-  
tate & diuturnitate regiminis, deniq; animo ab or-  
thodoxâ religione non alieno simillimum surroget.  
Intuâ Serenissime Princeps, Jane Georgi secunde,  
Indulgentissime patriæ parens, Academiae nutritor  
muni-

munificentissime, in tuam unius salutem collata  
sunt omnium vota. Nobis ac liberis nostris intel-  
ligimus precari, cum pro te precamur. Nam in  
Te omnes sumus. Salus tua salus nostra est. Non  
distringimus Te, DEUS optime, votis: non pacem,  
non concordiam, non securitatem, non opes ora-  
mus, non honores. Simplex sed cuncta ista comple-  
xum unum omnium votum est, SALUS PRINCI-  
PIS! Vive, Vive, Princeps Serenissime, Vive Do-  
mine Indulgentissime; DEUS TE  
SERVET. DIXI.







St. 32a, 23.

DOMINI

DUCIS SA

MONTIUM,

MARSCHALLI ET

MARCHIONIS OM

GRAVII MAGDEBUR


MINI IN RAVI

CHRIS

LL. ET HIST

JOR. PRINCI

Typis & Impe



V c  
3597

ORGII

VIA ET

II ARCHI-

THURINGIAE,

ATIAE, BURG-

YENSPURG, DO-

, NUTRITI

ERICO

LEGII MA-

STIPEND.

TTIGAU.

26.

